

dum specificè convenit cum *ulceribus cariosis*, cum *carie*, *exesione* & *corrosione ossium* conjunctis, in quibus pro *absumenda ossium carie* nihil est expertius & melius, si scilicet pulverisatum adspargatur cariei, exesioni & corrosioni ossium: Cum enim fieri soleat ab acido corrodeute & absumente ossa, optimè inspergitur Euphorbium, cujus acrimonia à  $\ominus$  vol. dependens absument acidum corrosivum in carie ossis, quo absunto etiam cessat caries. Inspergitur vel solum vel permistum cum rad. Iridis Florentinæ, vel cum Aristolochia rotunda, vel cum aliis similibus. De qua virtute Euphorbii in *carie ossium* & *ulceribus cariosis*, meretur quod vid. HILDANVS Cent. 4. obs. 21. & 96. & Cent. 2. obs. 92. uti etiam RIVERIVS Cent. 2. obs. 66. cum quibus conferatur KESLERVS Cent. 5. *Processuum Procesf.* 442. In genere convenit si pulverisatum cum spiritu vini subigatur & applicetur *ossi carioso*; nam spiritus vini solus egregius est in carie temperanda & abigenda: Ergo cum hoc conjunctum Euphorbium in tali casu egregium erit remedium. Ulterius Euphorbium convenit in *punctura nervi*, si nimirum ineptâ venæ sectione, quod sæpe fit, pungatur nervus, quam puncturam multa magna & trastica sequuntur symptomata, in tali casu est egregium remedium; Unguentum SCULTELLI in *armamentariis Chirurgico* obs. 64. quod parat ex Euphorbii optimi  $\mathcal{D}$ j. resinæ Terebinth.  $\mathcal{Z}$ ss. & ceræ parum miscet, extendit super linteum, & applicat calidè loco puncturæ nervi: quæ ipsa compositio jam ex GALENI Scholis est derivata: vid. SENNERTVS lib. 4. *Prax. cap. de vulneribus nervorum* pag. 471. id quod etiam observavit HELIDAEVS PADVANVS in obs. pag. 310. qui cuidam qui magnum dolorem brachii sentiebat ex V. sectione ob casum nervum iussit applicare Euphorbium, quo applicato cessavit dolor.

## GHITTA JEMOU.

SEU GUMMI GOTTE uti vocatur vulgari-ster, de hoc ipso gummi vel succo; Nam in hoc sunt promiscui auctores; Optimum tractatum scripsit CASTELLVS, quem intulavit de *Gutta Cambodia* vel *succo Cambodio*: modo vocatur succus, modo gummi, ut dixi, quoniam incertum est, quæ sit planta, ex qua eliciatur. Videtur tamen verisimile, quod sit succus vel lac coagulatum ex planta lactifera, quales sunt Esula, Tithymalus & similes, quod facile apparet ex sapore caustico, quo omnes succi ex plantis lactiferis sunt imprægnati: Unde erit talis succus seu tale lac inspissatum, nec mirum, quod ad eò sit vehemens remedium, quod cum impetu evacuat sursum & deorsum, & massam sanguineam colliguescit, cum partibus inutilibus ejus utiles unà cum serosis humoribus evacuat. Quoad dosin non potest ad eò certa præscribi, sed uti rectè monet FREITAG, in usu deprehenditur, quod modo remissiores, modo intensiores habeat virtutes in diversis partibus; propterea differentia certa. Præscribitur adultis à gr. v. ad x. ad xv. ut ut rarè: cum non sine conturbatione corporis soleat operari, Præstantissimam tamen operandi facultatem conciliari illi ajunt, si permisceatur cum  $\ominus$  e fra-xini, vel cum  $\ominus$  e absynthii, & specificum purgans

*hydropicorum* habetur à multis, idque imprimis à THONERO in obs. pag. 151. qui multum commendat in *hydropè*, & quidem imprimis usitatum est in cura *hydropiseos magisterium* gummi gotte, cujus præparationem habet AUCTOR: si ad aliquot grana stimuli loco aliis purgantibus in cura *hydropis* admisceatur, uti etiam in *affectibus articularibus*: in *affectibus articularum* stimuli loco purgantibus appropriatis commodè adneatur, Præparationem quod attinet, cum eadem imprimis instituat per acidos succos optimum est THONERI judicium lib. 3. obs. 3. qui dicit, si conjectura est, quod in ventriculo & primis viis hæreat viscosus humor, qui agrè medicamento purganti cedat, & per remedium averiuncandus sit, se non præparatum commendare cum spir.  $\mathcal{B}$ . propterea quia spir.  $\mathcal{B}$  adimit vim vomitoriam & vomitum non tantâ violentiâ movet more aliorum vomitoriorum. Nunc adhibetur præparatum nunc non præparatum. Præparatum quando volumus ut solum purget per anum, ut castretur ejus vis vomitiva, non præparatum quando debet qq. ciere vomitum.

## M A N N A.

DE qua Manna imprimis eruditum ac elegantem aureumque ferè librum scripsit MAGNENVS Professor Ticinensis. Præter hunc vid. possunt & alii imprimis SENNERTVS lib. 1. *prax. pag. 28.* CORTESIUS in *Miscellaneis Decade* tr. 5. qui ventilavit controversiam, num utinostriatibus, ita & veteribus cognita fuerit Manna; de qua Controversia etiam egit MONARDUS lib. 4. *Epist. 41.* & lib. 1. *pag. 6.* Quod attinet Mannam, revera nihil aliud est quàm succus quarundam arborum tenuis vel earum transudatio, quæ nocturno tempore permista cum rore, matutino tempore, superventu caloris solis coagulatur & inspissatur: ad eò ut sit quasi succus aut liquor vel granula composita ex succo viscido & pingui plantarum quarundam permista cum rore matutino exsiccatò & indurato in mannam. Experientia namque testatur, quod adhærescens quarundam & certarum arborum foliis & cortici reperiatur Manna, ad eò ut etiam ex arbore vespertino tempore cortice leniter fauciato, matutino circa ulcusculum illa reperiatur: Confirmat hoc BARTHOLINVS Cent. 1. *Epist. 54.* qui ceu testis oculatus docet, quomodo in Calabria ex incisa arbore arno per transudationem fiat & colligatur manna. Id quod etiam testatur THONERVS *Epist. 16. pag. 315.* qui refert, quod in Styria in montibus qui scitent arboribus resiniferis & plantis pingui succo dotatis, singulis annis, sed æstate tantum fervidior etiam copiosè reperiatur adhærescens arborum foliis, quod ipsum propria confirmat experientia. Manna quoque in foliis Borriginis in hortis reperitur, de quo etiam videri potest HOEFFERVS in *Hercule Medico*. Jam verò licet manna etiam reperiatur in ipso campo, lapidibus & similibus locis vicinis, non tamen putandum, qui sit ros coagulatus in lapidibus & similibus locis, sed ab arboribus descendat. Observetur hoc, ut colligatur ex plantis odoratis & homini salubribus. Hodie reliquis præfertur MANNA